

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Atlas minor Gerardi Mercatoris

Mercator, Gerhard

Amsterodami, 1610

Puglia Piana

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Puglia Piana.

538

Regio & unde dicta.

Soli fertilitas.
Urbes & Opida.

Flumina.

Terra di Bari
& unde dicta.
Soli fertilitas.
Urbs.

SEQUITUR nunc altera Regni Neapolitani pars perlustranda, in qua primo loco se offert Regio, quae Italicae hodie *Puglia Piana*, ab latissimis campis, & majore, quam in Peucetiis agrorum aequore. Haec etiam *Apulia Daunia* quondam dicta fuit. Fines illi ab Oriente *Apulia Peucetia*, intercurrente *Aufido*: ab Meridie *Apenninus*, cum *Hirpenis* & *Samnitibus*: ab Occidente *Frentani*, *Caraceni*que, nunc *Aprutii*, cum *Phiterno*: ab Septentrione *Hadriaticum* vel *Ionium Mare*. Agri hic fertiles supra modum, *Triticum* aliorumque *Frumenti* generum. Urbes hic sunt & *Opida*, *Mansfredonia* urbs laeta populoque frequens, in *Rupe Sinus marini*, quem *Gargani Montis flexus* efficit, sita. *Invictam* ad *Littus* habet *Arcem*. *Luceria* *Opidum* *Episcopale*: *Nuceria* *Ptol.* & *Suet. Rudera*, quae hodieque passim eo loco, praesentem docent *Urbis* *amplitudinem*. *Troia* *Civitas* *opulentissima*, fecundi agri: *Comitatus* *titulo* *clara*. *Asculum* *Urbs*, *titulo* *Ducatus* *incluta*: *Asculum* *Appiano* *Alexandrino*; *Asculo* *vulgo*, *cognomine* *Sattriano*. Sunt & *Salpe*, *Arpi* *Plinio* *comemorati*, aliquando *Argos Hippium* dictum, mox *Argyrippa*: & *Urbes* *duae*, quae in *proverbii* *ludicrum* *abiere* *Apina* & *Trica*, &c. *Flumina* *sunt* *Aufidus*, *hodie* *Osanto*, *Candilaris* *item* & *Cervaria*.

Sic se habet *Apulia Daunia*; sequitur explicanda jam nunc quae cognominari solet *Peucetia*: nunc vernacula *Italarum* *lingua* *Terra* *Bariana*, *Terra* *di* *Bari* *ab* *Urbe* *Bario* *primaria*. *Regio* *haec* *stupenda* *agrorum* *ubertate*, *admiranda* *que* *nobilissimorum* *Fruentium* *copia* *cum* *reliquis* *fere* *Italia* *committi* *potest*. *Sunt* *tamen* *ibi*, *ne* *quid* *sit* *omni* *ex* *parte* *beatum*, *loca* *quaedam*, quae *pluvius*, *aquis* *que* *laborant*. *Civitas* *primaria* *est* *Barium*, *Barion*, *Plin.* *ante* *Japyx* *addenti*, *Bari* *vulgo*. *Urbs* *antiqua*, *ea* *pulcritudine* *populique* *frequentia*, *ut* *Regionis* *universae* *teneat* *Principatum*, *eique* *nomen* *ab* *se* *Terra* *Bariana* *largiatur*. *Sunt* *praeterea* *Monopolis* *Urbs* *nova* *Marchionatus* *titulo* *celebris*; *non* *quidem* *magna* *sed* *pulchra*, *splendida*, *aedificiorum* *que* *magnificentia* *nobilis*. *Ager* *Olei* *feracissimus*, *Polinianum*, *Polignano* *Civitas* *Episcopalis*, *edita* *licet* *praeruptaque* & *saxosa* *in* *rupe* *sita*, *laeta* *tamen* & *populo* *frequens*. *Moli* *frequens* *quidem* *aedificiis*, *sed* *Colonis* *agrestibus*. *Condidit* *Arcem* *ibi* *superioribus* *annis* *Marchio* *Polinianus* *ad* *Orae* *tutelam*. *Juvenatum*, *Gruvenazzo*, *Urbs* *Episcopalis*: *Agro* *fertili*. *Marfetta*, *vel* *ut* *aliis* *scribitur*, *Morfetta*, *vel* *Melfata*, *Principatus* *hodie* *titulo* *floret*. *Vigilia* *vulgo* *Bisegli* *ad* *littus* *praecelsis* *in* *rupibus* *Opidum* *Episcopale*. *Tranum* *Civitas* *Archiepiscopalis*, *vulgo* *Trani*. *Ab* *aedificiis* *est* *pulcherrima*: *sed* *hodie* *magiore* *ex* *parte* *deserta*. *Silvae* *Olearum* & *Amygdalorum* *ab* *hujus* *Opidi* *agro* *Tarentum* *usque* *pertinent*.
Barula

PUGLINA PIANA.

540

Barulum, Barleta vulgo. Inter quatuor Italiae Castella numeratur, *Ostunum* populo frequens, parvo in colle situm. *Cilium, Cilio: Celia* Ptol. *Venusia, Venusium* Horatio, cujus patria. *Venosa* hodie. Sunt item *Cosusum, Acherontia, Biletum* & alia Opida.

Terra d'Otranto.

Nomina.

Situs.

Caeli temperies.

Soli fertilitas.

Urbes.

Post *Apulias* explicanda succedit *Salentinorum* Regio, quæ & *Iapygia Massapique*, item *Calabria*. Nunc Italiam ab *Hydrunte*, *Terra Hydruntina*, vulgo *Terra d'Otranto*. Habet hæc Regio ab Meridie Tarentum & Mare usque Promontorium Salentinum, ab Oriente idem Promontorium cum Mari Ionio: quod etiam & *Adriatico*, qua Septentrio est, adluitur ab *Hydrunte Brundisium* usque; qua Occidentem respicit *Apulia* illi adiacet *Peucetia*, cum *Magnæ Græciæ* portione. Tota hæc Regio saluberrimo gaudet aere, cæloque sudo & sincero, præterquam in ora, quæ ab *Lacu Hydruntino Brundisium* usque: ubi plerisque in locis juxta mare sunt *Paludes*. Regio fertilis & optima; Caput Regionis, cui nomen a se præbuit *Hydruntum*, i'd e' s; *Strab. Ptol.* & aliis. *Hydrus* Melæ. Hodie *Otranto*. Vrbs est vetustissima, cælo potitur clementissimo. Præter *Portum* satis capacem, *Aquilone* flante non satis tutum, Arcem habet in Saxo, quo mari imminet, tutissimam: opus *Alfonfi II*. Ager illi amœnus & fertilis. Reliquæ sunt: *Gallipolis*, hodie *Callipolis*: Aliis *Callipoli* tamquam *Urbs pulchra*. Munitissimum habet natura situm. Scopulo enim insidet seu *Insulæ* modicæ, quæ mari undique cingitur. Continenti ponte adhærens, saxo fulto ingentibus. Castrum Civitas Mercatoribus frequens *Olei* cœmendi. *Brundisium* & *Brundisium*, *Breundesium* Ptol. *Brentesium* *Steph. Barnedis* *Benjamino*, *Brundisi* hodie. Aerem habet clementissimum. Portus olim illi incultus, ex quo Romanis tutissimus quondam fuit in *Græciam* transitus. Nunc repletus est: adeo ut vix *triremibus* per eum currere liceat. Arx urbi munitissima. *Oria* civitas in Colle Tarentum spectans. Spectat eam Arx in Colle valida. *Aletium* Ptol. hodie *Leçe* & *Leccie* vulgo. *Salentinorum* hodie *primaria Concilio* totius *Apuliæ* Regio, Foroque perpetuo: Procerum totius hujus tractus *Domicilium*, multorumque *Nobilium* Sedes. *Oxentum* hodie *Ugento*, *Vgenti*, *Ogento*, variante scriptura: nunc perexigua est.

Calabria & ien-
de dicta.

Situs.

Soli fertilitas.

Calabria, ab *Calabris*, quos *Magnæ Græciæ* partem *Salentinis* adhærentem ad *Ionium* *Æquor* circa *Iapygium* Promontorium tenuisse, ex *Ptolemæo* est manifestum, nomen habet. Regio Italiae in extremis ejus finibus in ista lingua porrecta inter utrumque fretum inferum superumque interjacet. Fert ubertate quadam felicitateque stupenda, quidquid Vitæ ex voto transigendæ, deliciisque fruendis necessarium: *Triticum*, *Hordeum* aliaque *Frumenti* genera: *Vinum* varium, *Oleum*, *Saccaram*, *Manna*, *Mel*, *Ceram*, *Sal* nativum *Facitium*que, *Ficus*, *Poma Medica* & *Citria*, *Limonæ* aliosque fructus nobilissimos: item *Aurum*, *Argentum*, *Lanam*, *Gossypium*, *Crocum*, *Sericum*, *Linum*, & quid non? *Calabria* duplex, *Inferior*, quæ *Brutiorum* olim *Sedes*, hodie proprie *Calabria Inferior*: & *Superior*, quæ olim *Magna Græcia*. *Inferioris* fines ab *Occasu* *Laus*, itemque *Lucani*: a Meridie *Mare Tyrrhenum* & *Siculum*: qua *Oriens* est, parte *Maris Adriatici*:

PUGLINA PIANA.

527

Hadriatici: qua Septentrio, Magna Græcia & Amne Crathi clauditur. Caput & Metropolis ejus ut olim, ita & hodie *Consentia*, Strab. Prol. Græcisque ceteris: *Consentia* hodie. Sita circa declivitatem pene Apennini, colles amplectens septem, quibus maxima Urbis ædificiorum pars inposita. Civitates reliquæ: *Mantua*, *Fredus*, *Belmontium*, *Santa Euphemia*, *Fanum Rhegium*, *Tropia*, *Castrum Villare*, *Alomonti*, *Turranum*, *Rugianum*, *Marturanum*, *Nicastro*, *Briaticum*, *Hippo*, quæ etiam *Vibo Valentia* dicta fuit. *Superioris* quæ olim *Magna Græcia* fines, ad Solis exortum Æquor Adriaticum: ad Meridiem Flumen Alex & Bruttii: qua Occasus est Crathis Amnis cum Apennino & Lucanis: qua Septentrio Sinus Tarentinus, cum Apulis Peucetiis. Hic antiquissima nobilissimaque Urbs est *Tarentum*, *Tarantum* Appiano Alexandrino; *Taras* Strab. & Ptol. *Taranto* hodie. Calabriae quondam & Apuliae, totiusque Lucaniae Caput, L. Floro. Situs ejus notatur in intimo recessu Sinus, qui ab ipsa Urbe dicitur *Tarentinus*.

Supereft in hac Tabula *Lucania*, hodie *Basilicata* dicta: unde incertum. Fines hodie ab Occidente Silarius Amnis Campaniæ Limes: ab Meridie, Mare Tyrrhenum: ab Oriente, Laus cum Bruttii Magnæ quæ Græciæ parte; ab Septentrione Peucetii in Apulis, cum Hirpinorum portione. Montosam & asperam esse totam indicat Livius. Hodie artean, quam olim, Incolis est frequentior: quamquam adhuc magna multis locis solitudo, propter vias difficiles, horridosque Nemorum Saltus Latiociniis infesta. Opida hic ad Mare *Pestum*: *Pesti* meminit Virg. lib. 1111 Georg. *Biferique Rosaria Pesti*. Ad quem locum Servius *Pestum* Calabriae facit Civitatem, ubi bis quotannis Rosæ generantur. *Acropolis* Opidum ab Silario ostio M. XII: Aere gaudet præstantissimo. Originis esse Græcæ, ut hoc tractu pleraque, ipsum indicat Nomen. *Pisciotta*, *Ruxentium* Plin. Melæ. & Ptol. *Policastrum* nobilis Urbs, Ducatus titulo insignis. In Mediterraneis *Padula* Opidum, Marchionatus inctutum dignitate. *Capacia* Urbs, olim frequens admodum & opulenta. Reliqua omitto. Porro in altera parte Regni Neapolitani, Archiepiscopi sunt: Archiep. *Regiensis*: huic subsunt *Luarenfis*, *Cotronensis*, *Cassanensis*, *Cathacensis*, *Neocastrensis*, *Gracensis*, *Tropetensis*, *Vibonensis*, *Squillacensis*. Arch. *Consontinus*, sub quo est *Maturanensis*. Arch. *Rossanensis* non habet suffraganeos, *Bisignanensis* est exemptus. Arch. *S. Severina*, sub quo sunt *Ebriacensis*, *Strangulensis*, *Geneocastrensis*, *Gerentinensis*, *S. Leonis*. Arch. *Laracianus* sub quo *Mutulenfis*, *Castellanensis*. Arch. *Briandisinus* cui subest *Astfrinensis*. Arch. *Hidromintus*, cui *Castrens*, *Gallipolitanus*, *Liciensis*, *Ugentinensis*, *Lucensis*, *Neronensis* exemptus est. Arch. *Barenfis*, cui subsunt, *Berontinensis*, *Celphaianus*, *Juvenacensis*, *Rubensinensis*, *Salpens*, *Cauriensis*, *Baterensis*, *Conversanus*, *Minerviensis*, *Polignircensis*, *Cathericensis*, *Lavellinensis*. Arch. *Tranenfis*, cui subsunt *Vigiliensis*, *Andrenfis*, *Penensis*. Arch. *Sipontinus*, cui subsunt *Vescanensis* exemptus; *Trojanensis* exemptus: *Melphiensis*, *Monopolitanensis* & *Rapolensis* exempti. Arch. *Cannosanus* sub quo *Auranensis*, *Sarranensis*, *Montisvridis*, *Laqueodonensis*, *S. Angell de Lombardis*, *Bisacensis*, Arch. *Acherontis*, cui subsunt *Potentiensis*, *Tricaracensis*, *Venusiensis*, *Graviensis*, *Angolensis*.

Urbes.

Lucania Basilicata & unde dicta. Sinus. Soli qualitas. Urbes & Opida.

Arch. Consontinus. Arch. Sipontinus.

Y y y iij

CORSICA